

dispensatione pro promovendo, quæ diffi-  
cilius conceditur, quam pro jam promoti,  
ex c. *Si quis* 13, caus. 13, q. 1, et *Glossa* in  
l. *Ambiguus* 85, § *Non est novum*, ff. *De reg.  
jur.*, et tenent *Surdus*, consil. 174, n. 12;  
*Pignatell.*, tom. VII, consult. 10, num. 4;  
*Fagnan.*, lib. v *Decretal.*, cap. *Henricus* 1,  
De clericis pugnantibus in duello, n. 23,  
ubi adjicit insuper, quod proposito in sac.  
congr. Conc. 2 Septemb. 1613, coram Summo  
Pontifice, dubio, « an decretum conc. Trid.,  
cap. 7, sess. xiv, *De reform.*, excludens vo-  
luntarium homicidam a spe dispensationis,  
vindictæ sibi locum in eo, qui ante homici-  
dium ad sacros jam erat ordines promotus, »  
et eminentissimis cardinalibus in diversa  
abeuntibus, S.D.N., id est Paulus V, probavit  
hanc opinionem, « ut concilium promotum  
non includat. » Unde *Panimoll.*, decis. 89,  
adnotat. 6, num. 62; *Corrad.*, in *Praxi dis-  
pensat. Apostolicar.*, lib. v, cap. 1, num. 11;  
*Majolus*, *De irregular.*, lib. iv, cap. 48, et  
alii plures recte concludunt, quod quamvis  
homicidium sit casuale, adhuc tamen pe-  
tenda sit dispensatio a Summo Pontifice,  
non obstante quod homicidium absque culpa  
sit perpetratum; et de homicidiis commissis  
in bello, aliisque etiam commissis ex facto  
meritorio ob defensionem fidei, et hujus-  
modi, colligitur ex cap. *Petitio* 24, De homi-  
cid. et variis sacræ congregationis Con-  
cilii decretis relatis sub verb. IRREGULARITAS,  
art. 1, sub num. 12, et supra, num. 55, et a  
*Fagnan.*, in cit. cap. *Petitio*, et a card. *Petra*,  
*loc. cit.*, ubi in fine concludit, quod etiam  
in militibus Hierosolymitanis (vulgo cava-  
lieri di Malta) aliisque approbatis a S. Sede  
Apostolica ad pugnandum contra infideles,  
est necessaria, vel præventiva, vel subse-  
quens dispensatio Apostolica.

(57. Potest tamen episcopus dispensare  
super irregularitate orta ex homicidio ca-  
suali occulto. Sic *Barbosa*, *De offic. et potest.  
episcop.*, allegat. 39, n. 48; *Navarr.*, in  
*Manual.*, c. 27, num. 218; *Laym.*, lib. iii,  
tr. 3, par. iii, cap. 12, num. 2; *Gutierrez*,  
*Canon. qq.*, l. i, can. 56, num. 13; *Nicolaus  
Garcias*, *De benefic.*, part. vii, c. 11, num. 27;  
*Miranda*, in *Manual. prælator.*, tom. II,  
q. 8, art. 13, conclus. 2 et 3; *Marchin.*, *De  
sacrament. ordin.*, tr. 1, part. ix, diffie. 3,  
num. 9; *Alzed.*, *De præmin. episcop. digni-  
tat.*, part. ii, cap. 6, num. 6; *Avila*, *De  
censur.*, part. vii, disp. 6, sect. 5, dub. 2,  
concl. 2; *Reiffenstuel*, lib. v *Decret.*, tit. 12,  
n. 223; *Pirhing*, *ibid.*, num. 127; *Rosignol*,  
*De ordin. in communi*, part. i, q. 3, art. 7,  
num. 44, et alii plures contra *Molinam*,  
*Azorium*, et alios. Et ratio est quia a con-  
cilio Trident., sess. xxiv, *De reformat.*, c. 6,  
conceditur episcopis facultas dispensandi  
super omnibus irregularitatibus provenien-  
tibus ex delicto occulto, excepta irregulari-  
tate proveniente ex homicidio voluntario,  
pro quo non venit homicidium mere casuale,  
adeoque ibi non excipitur; cum exceptio  
unius firmet regulam in contrarium in non  
exceptis, per jura adducta supra, num. 37  
præsertim cum irregularitas sit odiosa, adeo-

que potius sit restringenda, quam amplianda,  
nec extendenda de casu ad casum, per jura  
adducta supra, num. 35.

(58. Sicque dispensare potest episcopus  
cum eo, qui hominem occidit, non intendens  
occidere, et cum eo, qui mandavit servo,  
ut alterum baculo percuteret, sed cavere,  
ne occideret, quia homicidium inde sequens  
non est proprie voluntarium respectu man-  
dantis, sed est casuale culpabile. Sic *Bar-  
bosa* in *concil. Trident.*, cit. sess. xxiv,  
cap. 6, num. 54 et seq.; *De offic. et potest.  
episcop.*, cit. allegat. 39, num. 50 et seq.,  
cum pluribus aliis ibi citatis, ubi ad id  
affert expressam decisionem sacræ congre-  
gationis in responsione ad dubium his ver-  
bis: « An is, qui mandavit aliquem baculo  
vulnerari, eo expresso ne occideretur, si  
mandatarius armis percusserit, et occiderit,  
intelligatur incidisse in decretum concilii,  
sess. xxiv, *De reformat.*, cap. 6, ut in omni  
ordinatione a beneficio, et officio, absque spe  
dispensationis perpetuo carere debeat; con-  
gregatio censuit negative, cum concilium  
requirat homicidium per industriam, per  
insidias, et ex proposito. » Sic referunt  
*Garcias*, *Riccus*, et alii ibi citati a dicto  
*Barbosa*, num. 52, ubi insuper refert ex  
*Campanil.* et *Aloysio Riccio* fuisse etiam  
decisum, quod mandans homicidium in per-  
sona alterius, non incurrit irregularitatem,  
quæ contrahitur ex homicidio voluntario.

(59. Episcopus dispensare potest super  
irregularitate proveniente ex homicidio oc-  
culto causa defensionis facto, non servato  
moderamine inculpatae tutelæ; *Navarr.* in  
*Manual.*, cap. 27, num. 239; *Layman*, *loc.  
cit.*, num. 2; *Avila*, *De censuris*, disp. 6,  
sect. 5, concl. 1; *Molina*, *De justit. et jur.*  
disp. 79, num. 8 et 11; *Gutierrez*, *loc. cit.*,  
lib. vi, cap. 65, num. 13; *Reiffenstuel*, *loc.  
cit.*, n. 221; *Pirhing*, *loc. cit.*, num. 118;  
*Barbosa*, in *concil. Tridentin.*, sess. xxiv,  
*De reformat.*, cap. 6, num. 32, et cit. alle-  
gat. 39, num. 53, cum pluribus aliis ibi  
citatis. Et ratio est, quia hujusmodi homi-  
cidium, quamvis ob excessum moderaminis  
inculpatae tutelæ sit illicitum, et injustum,  
non comprehenditur sub homicidio volun-  
tario excepto a concil. Trid., cit. cap. 6.  
Imo potius licet non sit mere necessarium,  
necessarii vim habet, quatenus non sponte,  
sed coacte vitandæ mortis causa fit, et non-  
nisi quoad modum illicitum et injustum est.

(60. Quando autem homicidium causa de-  
fensionis commissum, vel aliud casuale est  
notorium, et publicum, vel ad forum con-  
tentiosum jam deductum, super irregulari-  
tate inde orta dispensare nequit episcopus.  
Colligitur ex Trident., sess. xiv, *De reform.*,  
cap. 7, ubi loquens de facultate dis-  
pensandi super irregularitate orta ex homi-  
cidio causa defensionis, vel casualiter com-  
misso, intelligitur de homicidio, publico,  
vel deducto ad forum contentiosum, ut pa-  
tet ex his subjunctis verbis: « Qui non nisi  
causa cognita, et probatis precibus, ac nar-  
ratis, nec aliter dispensare possit; » et in

tali casu declarat, dictam dispensandi facul-  
tatem non competere de jure, nec esse com-  
missam episcopo, sed primum per Papam  
esse ei committendum. Sic *Pirhing*, *loc.  
cit.*, n. 128; *Reiffenstuel*, *loc. cit.*, n. 225;  
*Gutierrez*, *Canon. qq.*, lib. i, c. 3, ad finem;  
*Bonacina*, *De censur.*, disp. 1, qu. 3, punct. 2,  
n. 2; *Sanchez*, *De matrimon.* lib. ii, dis-  
put. 37, num. 12; *Barbosa*, in *concil. Tri-  
dent.*, sess. xxiv, cap. 6, num. 37, cum plu-  
ribus aliis ibi allegatis.

(61. Neque potest episcopus dispensare  
super irregularitate absque delicto orta ex  
defectu perfecta lenitatis, ut ex homicidio  
auctoritate publica in malefactores juste, et  
recte facto a iudicibus, accusatoribus, testi-  
bus ministris, et aliis ad mortem propinque  
concurrentibus, et a militibus in bello etiam  
juste pugnantibus. Sic *Navarr.*, in *Manual.*,  
c. 17, n. 217, et l. v *Consilior.*, consil. 39,  
De homic.; *Laym.*, *loc. cit.*, n. 5; *Suarez*,  
*De irregular.*, disp. 47, sect. 6, in fine;  
*Avila*, *De cens.*, disp. 6, sect. 5, dub. 1, concl.  
1; *Gutierrez*, *loc. cit.*, lib. ii, c. 6, n. 170;  
*Garcias*, *De benefic.*, part. vii, c. 11; n. 40;  
*Castropal*, *De censur.*, disp. 6, punct. 14, § 7,  
n. 6; *Pirhing*, *loc. cit.*, n. 129; *Reiffenstuel*,  
*loc. cit.*, n. 220, cum communiori aliorum.  
Et ratio est, quia concilium, cit. sess. xxiv,  
c. 6, concedit episcopis facultatem dispen-  
sandi solummodo super irregularitatibus  
provenientibus ex delicto occulto; irregulari-  
tas autem prædicta oritur ex defectu perfecta  
lenitatis, et non ex delicto, cum tale homi-  
cidium sit juste, et licite factum. Tum quia  
nullus episcopus solet cum similibus irre-  
gularibus dispensare, sed illi ad curiam Roma-  
nam ab omnibus dirigi solent, ut, teste *Reif-  
fenstuel*, *loc. cit.*, docet communis praxis  
et consuetudo, quæ est optima legum inter-  
pres; cap. *Cum dilectus* 8, De consuet., et l.  
*Si de interpretatione* 37, ff. *De legibus*, prout  
etiam servat stylus curiæ, qui pro lege ha-  
betur, c. *Ex litteris* 11, De constit.; c. *Quam  
gravi* 6, De crimine falsi.

(62. Potest tamen episcopus dispensare  
super irregularitate proveniente ex mutila-  
tione quacunque, etiam injusta et volun-  
taria, ac directe intentata, dummodo tamen  
sit occulta. Sic *Barbosa*, in *concil. Trid.*, *loc.  
cit.*, n. 36, cum pluribus ibi allegatis; *Sua-  
rez*, *De censur.*, disp. 44, sect. 1, n. 5; *Na-  
varr.* in *Manual.*, cap. 23, n. 249; *Layman*,  
*loc. cit.*, n. 2; *Reiffenstuel*, *loc. cit.*, n. 226,  
et alii communiter. (63. Et sic respondit  
expresse sacr. congr. Conc. ab episcopo Tre-  
monensi consulto, teste *Fagnano* l. i *Decr.*,  
in cap. *Dilectus* 15, De temporibus ordina-  
tion., n. 29. Et ratio est quia concilium, cit.  
sess. xxiv, cap. 6, excipit solam irregulari-  
tatem ex homi. voluntario proveniente, ex-  
ceptio autem firmat regulam in contrar.  
in casibus non exceptis, per jura adducta  
sup., n. 37, et dicta sup. n. 34 et 37, in fine.  
V. *Add. Casin.*, v. IRREGULARITAS.

(64. Quamvis episcopus nequeat dispen-  
sare ad ordines minores, sive recipiendos,  
sive exercendos, neque ad beneficium sim-  
plex super irregularitate proveniente ex ho-

micio voluntario, etiam occulto, cum id sit  
expresse prohibitum a concilio Tridentino,  
sess. xiv, cap. 7, ibi: « Omni ordine ac be-  
neficio, et officio ecclesiastico perpetuo ca-  
reat; » et tenent communiter doctores: ta-  
men potest episcopus dispensare super irre-  
gularitate proveniente ex homicidio casuali,  
sive indirecte tantum voluntario, quamvis  
notorio, ad ordines minores et beneficium  
simplex. Sic expresse *Barbosa* in cap. *Ad  
audientiam* 2, De homic., n. 8, et cit. alleg.  
39, n. 62, cum *Henriquez*, *Covarruv.*, *Cam-  
panil.*, *Miranda*, *Gerola*, *Bonacina* et *Homo-  
bon.*, ibi allegatis; *Layman*, *loc. cit.*, n. 3,  
cum *Sylvestro*, *Navar.*, *Sayro*, *Avila*, et aliis  
ibi citatis, ac plures alii ex cap. *Ad audien-  
tiam* 12, De homicid., ibi: « Poteris conce-  
dere, ut minoribus ordinibus sit conten-  
tus; et ex cap. *Henricus* 1, De clericis pu-  
gnant. in duello, ubi de simili homicida  
statuitur, quod non debeat in sacris ordini-  
bus ministrare, sed ad habendum benefi-  
cium misericorditer dispensetur; quæ jura  
per concil. Trident. non sunt mutata circa  
homicidium indirecte tantum voluntarium,  
cum ipsum concilium cit. cap. 6, prohibeat  
tantum ne episcopi dispensent cum homi-  
cida voluntario, adeoque ejus prohibitio non  
extenditur ad homicidas casuales; non enim  
facienda est extensio de casu ad casum, præ-  
sertim in odiosis per toties repetita jura  
allata supra n. 35 et 37.

(65. Hinc juvat ad eruditionem referre  
quæ ex aliis refert *Pignatell.*, t. VII, consult.  
19, sub. 1, § *Refert*, ibi: « Refert Paris. de  
Put., *De syndicat.*, fol. 32, quem allegat *Fel-  
lin.*, in c. *Si quando*, De rescript., col. 2, ca-  
sum, qui evenit Romæ Joanni Papæ XIII.  
Jussit Pontifex quemdam Romanum capite  
plecti; at ille cum adeo clamasset quod ob  
id Papa esset irregularis, ut populus de ir-  
regularitate Pontificis scandalizaretur, fuit  
jussu Papæ liberatus. Simile contigit *Ho-  
stiensi*, qui cum esset legatus Bononiæ, qui-  
dam reus pena capitali condemnatus petiit  
ut prius sibi permitteretur alloqui legatum  
de re ardua; quod cum obtinisset, et nihil  
arduum dixisset, turbatus legatus dixit:  
Suspendio necetur; illo autem clamante:  
« Vis esse irregularis? » Respondit legatus:  
« Maledictus qui te docuit; » eumque re-  
missum ad carcerem postea liberavit, ut  
tradit *Felinus* ubi supra post Joann. de  
*Lignano*, in cap. *Sententiam*, in fin. Ne cle-  
rici vel monach., dicentem id se audivisse a  
domino Paulo, dum legebat fundamentum  
ex cap. *Ex litteris*, De excessib. prælator.,  
ubi dicitur, quod prælati non debent impo-  
nere proprio ore sententiam sanguinis; di-  
citurque *Baldus* post *Innocent.* in cap. 2, *De  
majorit. et obed.*, quod licet Papa possit sta-  
tuendo imponere penam mortis, non tamen  
potest exsequendo. Ex quo inferet, quod si  
Papa propriis manibus occideret aliquem,  
statim esset irregularis. Quod dictum pos-  
set sustineri sequendo opinionem illorum,  
qui volunt quod irregularitas ex homicidio  
voluntario est de jure civili, ut tenent multi  
in cap. *Ad audientiam*, De homicid.; sed

sequendo illos, qui dicunt, quod est de jure positivo, dictum Baldi non careret dubio, juxta Felin., in cap. 2, *De major. et obed.*, cum Papa sit supra jus positivum, cap. *Proposuit*, *De concession. præbend.*, ubi concludit inveniri in locis per ipsum allegatis, quod quamvis irregularitas ex homicidio habeat in se rationem, ac mentem juris divini, per text. in § 1 *De consecrat.*, d. 1; tamen super ea potest Papa ex causa dispensare: quod etiam voluit Hostiens., in cap. *Sicut dignum*, *De homicid.* in d. cap. *Audientiam*, eod. tit., ac Panormitan., in cap. *Ego N.*, in fine *De jurejur.* Hactenus ad litteram Pignatell., *loc. cit.* Cui adde, quod Papa revera non potest canonicam irregularitatem incurrere, cum ipse sit supra omne jus canonicum; cap. *Proposuit* 4, *De concession. præbendæ*; Fagnan., l. v *Decret.*, in cap. *De cætero* 11, *De homicid.*, n. 22; Reiffenstuel, *loc. cit.*, n. 91; Pirhing, *loc. cit.*, n. 96; Majolus, *De irregularit.*, lib. II, cap. 4; Suarez, disp. 40, lib. VII, n. 7; La Croix, lib. VII, n. 477; Castropal., *De irregularit.*, d. 6, pag. 2, n. 4, cum pluribus aliis ibi citatis. Imo est adeo incapax irregularitatis ut statim ac evehitur ad Papatum, fiat liber etiam ab irregularitate prius contracta, cum statim desinat esse subjectus juri canonico quoad vim coactivam et pœnas; ut recte ex cap. *Licet*, *De vitanda* 6, *De election.*, et cap. *Ubi periculum* 3, eod. in 6, deducunt Reiffenstuel, Majolus, La Croix, Castropal., et alii *locis citatis*, et jam diximus verb. **IRREGULARITAS**, artic. 1, sub num. 11, § undecimo. V. *Addit. Casin.*, v. **IRREGULARITAS**.

(66. Potest episcopus dispensare super irregularitate contracta ab eo, qui duos sacros ordines, vel acolythatum cum subdiaconatu eodem die suscepit, si delictum sit occultum. Item super irregularitate, quam quis contraxit exercendo ordines, quos non habebat. Item super suspensione, et irregularitate contracta ab eo, qui ante legitimam ætatem ordines suscepit. Item in suspensione contracta ab eo, qui ordines suscepit dum vinculo censuræ obstrictus esset. Item in suspensione contracta a conjugato suscipiente ordinem sacrum. Item in suspensione contracta ab eo qui furtive ordines suscepit. Item in suspensione occulta, quam quis contraxit recipiendo ordines sine litteris dimissoriis. Item dispensare potest cum eo, qui per saltum promotus ad ordines celebravit. Item cum eo, qui ordines minores suscepit ab episcopo qui renuntiavit episcopatu. Item cum simoniaco occulto. Item dispensare potest super irregularitate contracta ab excommunicato celebrante, quando excommunicatio est occulta, licet celebratio sit manifesta. Sic quoad omnes supradictos casus cum pluribus aliis Barbosa in concil. Trident., sess. xxiv, *De reformat.*, cap. 6, a num. 11 ad 22, et num. 29, dummodo in omnibus delictum sit occultum, ut etiam alii passim tenent DD. Vide *Additiones Casinenses* sub verb. **IRREGULARITAS**, ubi plura, et quidem notabilia invenies ad rem.

(67. Occultum autem quantum ad hoc dicitur, quod probari non potest; unde, ubi delictum probari potest per duos testes, occultum non est, nec absolutus, et dispensatus est tutus in conscientia; ut declaravit sacra congreg. Conc. quæ ad dubium: « An absolutus, et dispensatus a proprio episcopo in materia delicti perpetrati coram duobus, vel tribus testibus, quod tamen non fuit notorium, esset tutus in conscientia. » Respondit: « Non esse tutus, quia concilium utitur termino occulto, quod proprie loquendo est illud quod probari non potest. » Sic refert Fagnan., lib. I *Decretal.*, in cap. *Requisivit* 1, *De ordinatis* ab episcop., n. 38, et verba concilii debent accipi secundum proprietatem; quod repetit lib. III *Decret.*, in cap. *Vestra* 7, n. 127, *De cohabit. clericor.* et mulier.

(68. In casibus quomodocunque occultis post conc. Trident. ex nova lege Sedi Apostolicæ reservatis, nequeunt episcopi dispensare et absolvere, ut expresse declaravit sac. congr. Conc., teste Fagnano lib. I *Decretal.*, in cap. *Dilectus* 15, *De temporib. ordinat.*, n. 30, ubi n. 37; (69. insuper refert, eamd. sacram congregationem, approbante Pontifice, declarasse, quod dicta facultate dispensandi et absolvendi in casibus occultis tributa episcopis a concilio, non possunt uti cardinales in suis titulis; quia licet habeant jurisdictionem quasi episcopalem, ibi tamen vere, et proprie episcopi non sunt. Sicuti neque abbates, alique prælati jurisdictionem quasi episcopalem habentes, et Sedi Apostolicæ immediate subiecti.

(70. Quinto, requiritur, quod nulla censura sint ligati. **Communis**; qui enim sunt aliqua censura irretiti, ipsa durante, nequeunt licite ullum ordinem suscipere, cap. *Illorum* 22, *De sent. excom.*; cap. *Sape contingit* 1, *De temporib. ordinat.* in 6. Quotuplex autem sit censura, et quid sit quælibet in specie? Vide verb. **CENSURA**, **EXCOMMUNICATIO**, **INTERDICTUM** et **SUSPENSIO**.

(71. Sexto, requiritur, quod sint in ætate canonica constituti. **Communis**, arg. c. *Nullus* 4, *De temporibus ordinat.*, in 6, ubi Bonifacius VIII sub pœna suspensionis per annum ipso facto incurrenda, prohibet ne quis infanti clericalem præsumat conferre tonsuram. (72. Infantes tamen quamvis illicite, valide tamen ordinantur ad quemcumque ordinem, etiam presbyteratum. **Communis** cum S. Thoma, S. Bonaventura et Scotto in 4, dist. 25, et desumitur ex c. unico, *De clerico per saltum promoti*; ubi de clerico, qui ante annos discretionis inferiores ordines suscepit, postea falso, et temere credens, se etiam suscepisse diaconatum, absque diaconatu sacerdos ordinatus fuerat, rescribit, et statuit Innocentius III ut post injunctam impletamque pœnitentiam, diaconatus solum suppleatur: ubi clare supponit Pontifex posse quem infra annos discretionis ordinari. Nec lex divina reddit infantem incapacem sacramenti. (73. Imo infantes ordinantur valide etiam ad episco-

patum, ut communius tenent doctores, et signanter Dominicus Sotus, Vasquez, Castropal., Filliuc., Dieastil., et alii apud Tamburinum, *De sacrament.*, lib. VII, cap. 6, § 1, n. 12; Sporer., *loc. cit.*, n. 63, cum Gobat et Diana ibi citatis, et alii passim; et constat experientia fuisse Hugonem, filium Heriberti comitis Aquitanæ, in ætate puerili quinque annorum promotum ad archiepiscopatum Rhemensem, ut ex aliis refert Berninus, t. II *Histor. omnium hæresum sæculo decimo*, capitul. unico, fol. 585, ubi adducit S. Bernardum epistol. 42, sic scribentem: « Scholares pueri, et impuberes adolescentuli ob sanguinis dignitatem promoventur ad ecclesiasticas dignitates, et de sub ferula transferuntur ad principandum presbyteris: lætiores interim, quod virgas evaserint, quam quod meruerint principari, nec tam illis blanditur adeptum quam ademptum imperium. » Et insuper, variis aliis omissis in infantili ætate ad episcopatum promotis, ex historiis habetur, quod adolescentes et juvenes fuerunt interdum ad Pontificatum assumpti, ut Joannes XII vix natus annos duodeviginti, ut testatur Graveson, *Historia ecclesiastica*, tom. IV, fol. 71, primæ impressionis Romanæ, et Baronius ad annum 955, n. 3 et 4; et Joannes XI fuit Summus Pontifex constitutus, cum ætatis suæ annum vigesimum quintum vix attigisset, ut testatur idem Graveson, *ubi supra*, fol. 67. Vide verb. **PAPA**, artic. 1, n. 54.

(74. Ætas igitur canonica pro prima tonsura, ostiariatu, lectoratu et exorcistatu sunt anni septem completi, c. *In singulis* 2, dist. 77. (75. Pro acolythatu sunt anni duodecim completi, cit. c. *In singulis* 2, dist. 77. Et colligitur ex textu et Glossa in c. De iis 5, dist. 28, et c. *Cum nullis* 4, *De temporibus ordinandorum*, in 6. (76. Pro subdiaconatu sunt anni 21. Concil. Trident., sess. xxii, c. 12, *De reformat.*, infra adducend. (77. Pro diaconatu sunt anni 23. Concil. Trident., *loc. cit.* (78. Pro presbyteratu sunt anni 25. Concil. Trident., cit. sess. xxii, c. 12, *De reformat.*, ibi: « Nullus in posterum ad subdiaconatus ordinem ante vigesimum secundum; ad diaconatum ante vigesimum tertium; ad presbyteratum ante vigesimum quintum ætatis suæ annum, promoveatur. » (79. Qui anni requisiti a Tridentino pro his tribus sacris ordinibus sufficiunt incepti, ut tenet communis doctorum cum Barbosa in cit. sess. xxiii, c. 12, n. 2, et in praxi receptum est apud omnes. (80. Pro episcopatu requiruntur anni 30 completi, c. 1, 2 et 4, dist. 78, et concil. Trident. sess. vii, c. 1, *De reformat.*, et cap. *Cum in cunctis*, *De elect.* et Gregor. XIV, constitut. incip. *Onus Apostolica*, et communis doctorum eum Barbosa, in cit. sess. vii, c. 1, n. 4.

(81. Septimo, requiritur quod sint scientia sufficienti instructi pro quolibet ordine suscipiendo; c. 1, dist. 39, ubi Gelasius papa expresse habet: « Illiteratos nullus præsumat ad clericatus ordinem promovere, quia litteris carens sacris non potest esse aptus officii. » Unde concil. Trident., sess. xxiii,

cap. 4, *De reformat.*, statuit, quod « prima tonsura non initiatur, qui... fidei rudimenta edocti non fuerint, quique legere et scribere nesciant. » Et *ibidem*, c. 11, pro ordinibus minoribus requirit « ut saltem latinam linguam intelligant, et sciant quæ ad officium suum spectant. » Et *ibidem*, c. 17, pro subdiaconatu et diaconatu requirit, « ut sint litteris et iis quæ ad ordinem exercendum pertinent, instructi. » Et *ibidem*, c. 14, pro presbyteratu requirit, quod « ad populum edocendum ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, ac ministrandi sacramenta, diligenti examine præcedente, idonei comprobentur. »

(82. Octavo, requiritur quod ordinentur a suis propriis respective episcopis, vel ab aliis de eorum licentia et cum suis dimissoriis. Sic expresse concil. Trident., sess. xxiii, cap. 8, *De reformat.*, ibi: « Unusquisque a proprio episcopo ordinetur; quod si quis ab alio promoveri petat nullatenus id ei, etiam ejusvis generalis aut specialis rescripti, vel privilegii prætextu permittatur, nisi ejus probitas, ac mores ejusdem ordinarii testimonio commendentur: si secus fiat, ordinans a collatione ordinum per annum et ordinatus a susceptorum ordinum executione, quandiu proprio ordinario videbitur expedire, sit suspensus. Et novissime Innocentius XII, constitut. incip. *Speculatores domus Israel*. (83. Nono, requiritur quod ordinandi in sacris habeant legitimum titulum sustentationis, scilicet aut beneficii ecclesiastici pacifice possessi, aut patrimonii sufficientis ad honestam sustentationem, aut paupertatis religiosæ, ejus scilicet, quam solemniter vovent religiosi. Sic Pontificale Romanum, tit. *De ordinatione subdiaconi*, et communis doctorum. Et ratio hujus dispositionis est, ut clerici ordinati in sacris habeant unde honeste ali possint, ne cogantur, ut dicit concilium Tridentinum, sess. xxi, cap. 2, *De reformat.*, « cum ordinis dedecore mendicare, aut sordidum aliquem quæstum exercere. »

(84. Ad titulum autem beneficii, ut quis licite ordinetur, requiritur quod sit beneficium proprie dictum; quod definitur: « Jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis ecclesiasticis, ratione spiritualis officii personæ ecclesiasticæ auctoritate Ecclesiæ constitutum. » Vide verb. **BENEFICIUM**, art. 1, a n. 6. (85. Et quod tale beneficium sit sufficiens ad honestam ipsius sustentationem et pacifice possessum. Sic expresse Tridentinum, cit. sess. xxi, c. 2, ibi: « Nisi prius legitime constet, eum beneficium ecclesiasticum, quod sibi ad victum honeste sufficiat, pacifice possidere. » (86. Unde, qui non habet beneficium sufficiens, non debet ordinari cum supplemento patrimonii, nisi necessitas aut utilitas Ecclesiæ id exigat. Sac. congreg. Concil. in *Signina* 18 Septemb. 1685, et in *Civitat. Plebis* 10 Jun. 1684. (87. Et si beneficium ad ejus titulum ordinatur ab episcopo non suo, non esset sufficiens juxta taxam sui ordinarii, esset suspensus quoad exercitium ordinum.

Sac. cong. Concil. in *Arimin.* 10 Januar. 1705. (88. Imo nedium ipse ordinatus esset suspensus ab exercitio ordinum, quoad proprio ordinario videbitur expedire, sed etiam episcopus ordinans esset suspensus per annum a collatione ordinum, et uterque subjaceret gravioribus pœnis pro modo culpæ arbitrio Summi Pontificis infligendis. Sic expresse statuit Innocentius XII, 6 Novembris 1694, constitut. incip. *Speculatores domus Israel.* (89. Et tale beneficium non potest ordinatus postmodum resignare, nisi facta mentione quod ad illius beneficii titulum sit promotus; neque ea resignatio potest admitti, nisi constet quod aliunde vivere commode possit, aliter autem facta resignatio nulla est. Sic expresse Trident., cit. sess. XXI, c. 2, ibi: « Id vero beneficium resignare non possit, nisi facta mentione, quod ad illius beneficii titulum sit promotus, neque ea resignatio admittatur, nisi constet, quod aliunde vivere commode possit, et aliter facta resignatio nulla sit. »

(90. Ad titulum patrimonii vel pensionis, ut quis licite ordinari possit, requiritur, quod episcopus iudicet talem pro necessitate vel commoditate suarum ecclesiarum esse assumendum, illudque patrimonium, vel pensionem et ad vitam sustentandam sufficiens esse et vere ab ipso obtineri. Sic expresse Trident., cit. sess. XXI, c. 2, ibi: « Patrimonium vero, vel pensionem obtinentes ordinari posthac non possint, nisi illi, quos episcopus iudicaverit assumendos pro necessitate, vel commoditate ecclesiarum suarum, eo quoque prius perspecto, patrimonium illud vel pensionem vere ab eis obtineri, taliaque esse quæ ei ad vitam sustentandam satis sint. »

(91. Unde clericus suscipiens ordines sacros cum patrimonio ficto, sicuti etiam cum ficto beneficio, suspensionem incurrit; cap. *Neminem* 1, et cap. *Sanctorum* 2, dist. 70, quoad hoc a concilio Trident. cit. sess. XXI, c. 2, innovatam, ibi: « Antiquorum canonum pœna super his innovando. » Et sic pluries declarasse sacram cong. Episcoporum et Regularium, et sacram cong. Concilii, refert Pignatell., tom. VI, consult. 77, num. 15 et 16, ubi et de stylo curiæ, et praxi Pœnitentiariæ testatur et plurimos affert doctores. Sic etiam Monacell., tom. II, tit. 13, formul. 3, n. 4, et tom. III, tit. 2, formul. 4, n. 1, ubi ex Nicolio testatur, sic plenis votis declarasse sacram congreg. Concil. 27 Novemb. 1610 quoad eum qui per fraudem et culpam decepit episcopum ordinantem, fingendo se habere titulum, quæ declaratio relata reperitur in synodo Farnensi, in tit.

(165) « Dubitatur, an clericus possit renuntiare patrimonium sine licentia episcopi, si habeat aliunde sustentationem? Adsunt tres sententiæ. Prima sententiæ affirmat, quam tenent Azor., part. II, l. III, c. 4, quæst. 5; Palaus p. II, num. 15, cum Steph. Gratiano, Flaminio, et communiori ut asserit; item Garcia, et Moll. apud Salm., cap. 6, n. 84, et probabilem putant Tamb., *De ord.*, l. VII, cap. 6, § 4, n. 19; Diana, part. IX, tr. 8, resol. 23; et Barb., alleg. 49, n. 90,

*De sacrament. ordin.* n. 5, et tom. V *Supplement.* ad tom. I, n. 437, ubi monet ordinandos, quod caveant a contraria sententia, quia laxa est, erronea, et pluries decretis sacrarum congregationum reprobata, quæ referuntur a Pignatell., tom. V, consult. 77, num. 15 et 16, et ibi aliis doctoribus a se allegatis tom. II et tom. III, loc. cit.; et sic etiam tenent Nicolaus Garcia, part. II *De beneficiis*, cap. 5, n. 20; Barbosa, *De officio et potestate episcop.*, allegat. 20, num. 27 et 33; Pirhing., in *Jus canonic.*, lib. I, tit. 11, num. 112; Reiffenstuel, *ibidem*, num. 197, ubi refert supra dictam declarationem sacr. cong. Concil. 27 Novemb. 1610, quam refert et tenet etiam Fagnanus, in cap. *Cum secundum* 26, De præbend., n. 69, in fine; et sic tenent alii passim per constitutionem 35 Urbani VIII incip. *Secretis*, ubi sic expresse habetur: « Insuper promotos hujusmodi ac etiam eos qui cum falsis, vel fictis, aut fiduciariis patrimonii titulis, scienter se ad ordines hujusmodi promoveri fecerint, non solum prædictis (scilicet inter alias pœnas suspensionis perpetuæ absque spe dispensationis a Sede Apostolica obtinendæ), verum etiam majoribus arbitrio nostro et pro tempore existentis Romani Pontificis infligendis pœnis subjectos esse volumus. »

(92. Non esset tamen suspensus ipse ordinatus, si bona fide et sine ulla sua fraude et dolo absque legitimo titulo ordinaretur, ut tenent supra citati doctores et alii passim, arg. cap. *Cum secundum* 16, De præbend., ubi suspensio ordinati per jura antiqua inducta, fuit sublata ex parte bona fide, et sine ulla sua fraude ordinati et solus episcopus ordinans per impositionem oneris ordinatum sustentandi fuit punitus, et ex cit. constitut. Urbani VIII incip. *Secretis*, ubi declarantur suspensi solum, qui « scienter se ad ordines hujusmodi promoveri fecerint. »

(93. Et tale patrimonium, vel pensio, posthac sine licentia episcopi alienari, aut extinguere, vel remitti nullatenus potest, donec ordinati beneficium ecclesiasticum sufficiens statui suo sint adepti, vel aliunde habeant, unde vivere possint. Sic expresse Trident., cit. sess. XXI, cap. 2, ibi: « Atque (illa) deinceps sine licentia episcopi alienari, aut extinguere, vel remitti nullatenus possint, donec beneficium ecclesiasticum sufficiens sint adepti, vel aliunde habeant, unde vivere possint (163). »

(94. Unde patrimonii titulus non extinguitur etiamsi ordinatus acquirat alia bona, donec ab episcopo loco patrimonii subrogetur. Licet enim quis habeat patrimonium

cum Menoch., Surdo, Cavallo et Cassano; et expresse huic sententiæ consentiunt Sanchez, *Cons.* lib. VII, c. 1, dub. 45, et Viva, quæst. 8, art. ult., § 6, v. *Circa*. Eam probant ex Tridentino, sess. 21, cap. 2, ubi dicitur: « Atque illa (nempe patrimonium, beneficia, etc.) deinceps sine licentia episcopi alienari nullatenus possint, donec beneficium sufficiens sint adepti, vel aliunde habeant unde vivere possint. » Si igitur, aiunt, non potest cle-

sibi constitutum sub hac conditione: « Donec et quousque provisu fuerit de beneficio ecclesiastico aut aliunde habuerit, unde commode sustentari valeat quo casu eveniente patrimonium redeat ad constituentem absque alia declaratione »: non dicitur spoliatus tali patrimonio, quamvis beneficium, vel bona acquirat, sed viget patrimonium, ut prius, obstante dicta conditione, donec ab episcopo non fiat subrogatio. Sic declaravit sac. cong. Concil. 12 Jul. 1687, confirmando decreta olim emanata in *Terracinen.* 8 August. 1602 et 20 Jul. 1691, et idem censuit novissime in *Senogallien.* 20 Jun. 1705, in respons. ad 4.

(95. Neque ordinatus potest absque expressa licentia Episcopi donare patrimonium libere constitutum, reservato sibi usufructu ad vitam. Sac. cong. Concil. 10 Octobr. 1676. (96. Neque potest absque dicta licentia episcopi illud in emphyteusim concedere, reservato desuper annuo canone fructibus correspondente. S. C. Cong. in *Parmen.* 20 Jul. 1641, in qua licet concessor esset beneficiatus, adhuc quia ordinatus fuerat ad titulum patrimonii in emphyteusim concessi, declaravit, concessionem non sustineri; et idem probavit in *alia Aquilana* 24 Febr. 1652. (97. Neque patrimonium potest sine licentia episcopi alienari, etiamsi ordinatus consequatur beneficium. Sacra cong. Concil. 16 April. 1622, lib. XIV *Decret.* pag. 234, et faciunt decreta relata supra, n. 39.

(98. Prohibitio concilii Tridentini alienandi patrimonium extenditur ad fidejussionem ordinati, adeo ut fidejussio et obligatio respectu dicti patrimonii non sustineatur, si facta sit ab ordinato sine consensu episcopi. S. cong. Concil. quæ ad dubium sibi propositum sub die 11 Martii 1642, respondit « extendi etiam ad fidejuss.; » et jussit dari declarationem sequentem. Die 5 Febr. 1604. « S. cong., etc., censuit, neque in hujusmodi patrimonio, neque in ejus fructibus ad clericum alendum necessariis executioni locum esse posse, licere autem capere in causam iudicati eam fructuum portionem, quæ quotannis superest, ultra ea quæ ad ordinati sustentationem,

ricus sine licentia episcopi alienare patrimonium, donec aliunde habeat unde vivat, ergo bene potest, si habet unde vivat, etiam sine licentia episcopi: qui ceterum in aliquo casu, puta ad redimendos parentes captivos, et simili, potest dare licentiam alienandi patrimonium, quamvis clericus non habeat unde vivat. Secunda sententia, quam tenet Ledesma, et alii apud Vivam, quæst. 7, art. 9, num. 6, dicit, talem alienationem esse illicitam, sed non invalidam; imo Suarez, *De cens.*, dist. 51, sect. 1, num. 58, dicit esse validam, etiamsi clericus non habeat unde vivat. Tertia vero sententia, quam tenet La Croix, num. 2286; Barbosa, allegat. 49, num. 90, cum Quintanad. Campanile, et Ugol. Escob., num. 382, cum Marchino, Cenedo, etc., ac Salm., c. 6, num. 382, cum Vasquez, Philib. et Leand. dicit, hujusmodi alienationem esse invalidam et illicitam. Ratio, non quia, si clericus non habeat aliunde sustentationem, nec etiam episcopus (ordinarie loquendo, ut intelligendum est concilium) potest licentiam alienandi concedere: hoc enim

non laute, sed tenuiter vivendo iudicis ecclesiastici arbitrio fuerint necessaria. Posse autem ipsum creditorem accipere in solutum, atque vendere jus sibi competens ad hujusmodi patrimonium, quod post mortem ipsius promoti ad creditorem, uti res hæreditaria pertinebit. »

(99. Patrimonium constitui potest etiam in censibus, dummodo constituentes tale patrimonium in forma juris valida se obligent, quod in casu redemptionis pro sufficienti ordinati victu providebunt, donec iterum investiantur. Sacra cong. Concil. in *Nullius* 21 Jul. 1629, lib. XIV *Decret.*, pag. 109. (100. Ordinibus sacris initiari non potest, qui bonis cessit. Sac. cong. Concil. in *Arien.* 22 Junii 1725, apud Ursayam, in *Miscell. 1 sacro et profano*, litt. O, n. 82.

(101. Ad titulum paupertatis, seu professionis religiosæ, ut quis licite ordinari possit, requiritur, quod sit vere professus. Pontifical. Roman., tit. *De ordinatione subdiaconi*, et communis doctorum. (102. Unde novitii sine titulo beneficii, vel patrimonii, aut pensionis nequeunt promoveri ad sacros ordines. Arg. concil. Trid., cit. sess. XXI, cap. 2, et expresse S. Pius V, constit. 75, incip. *Romanus Pontifex*. Vide verb. *Novitius*, num. 89. (103. Et hoc ipsum habet locum non solum in novitiis, seu non professis, sed etiam in nulliter professis; Vide d. verb. *Novitius*, num. 90. (104. Patres autem Societatis Jesu, quia tria vota paupertatis, castitatis et obedientiæ in Societate emisissent, de licentia præpositi generalis possunt promoveri ad sacros ordines absque titulo etiam ante solemnem professionem. Vide *ibidem*, num. 91. (105. Patribus Societatis Jesu sic ordinatis nulla debentur alimenta a dicta Societate, si contingat eos ante solemnem professionem a præposito generali a dicta Societate dimitti. Vide *ibidem*, num. 92.

(106. Pro hujus articuli complemento addendum est, quod in calculandis redditibus beneficii pro titulo ordinandi, non sunt detrahenda onera missarum eidem beneficio adjecta, maxime si ordinandus, donec ascendat ad sacerdotium, pro rata missarum

significat particula illa *donec*, nempe quod episcopus solum licentiam dare potest, cum clericus habeat unde vivat; tum quia patrimonium connumeratur inter bona ecclesiast. et gaudet eodem privilegio. Ergo tale patrimonium sine licentia episcopi est inalienabile. Et huic tertiæ sententiæ mihi magis libet adherere, ob decretum S. C. quæ die 4 Febr. 1652 (apud Bened. XIV. notif. 26, n. 29) sic respondit: « Renuntiationem patrimonii, ad cuius titulum clericus simpliciter sacris ordinibus fuit initiatus, absque licentia episcopi factam, non sustineri, etiam post assecutionem beneficii ad ejus vitam sustentandam sufficientis. » Adverte hic aliud Decretum emanatum a S. D. Concilii, 5 Febr. 1604, ubi decisum fuit, non esse vetitum clerico hypothecare patrimonium, quoad eam tamen partem fructuum, quæ supersit ad ejus sustentationem, non laute, sed tenuiter vivendo, juxta iudicis ecclesiastici arbitrium. Sic D. de Ligorio, *Theol. moral.*, cap. 2, *De sacram. ordin.*, n. 82. (Editores Casinenses.)